

GROBIANUS, ET GROBIANA, DE MORUM SIMPLICITATE LIBRI TRES.  
 IN GRATIAM OMNIUM RUSTICITATIS AMANTIUM CONSCRIPTI,  
 PER FRIDERICUM DEDEKINDUM.

AD ORNATISSIMUM VIRUM, DN. SIMONEM BINGIUM, HASSIACUM SECRETARIUM,

FRIDERICI DEDEKINDI PRAEFATIO.

D\_1 v.1 Opto tibi quantam virtute merere salutem,  
 2 o mihi non multos inter amate Simon.  
 3 Pauca loquar tecum : quae multa negotia tractas,  
 4 te mihi dicturo multa, vacare vetant.  
 5 Quae modo nostra libris cantarat Musa duobus  
 6 carmina, de vitae simplicitate rudis.  
 7 Illa sub incudem tibi jam revocata refinxit  
 8 Pieris, et triplici protulit aucta libro.  
 9 Jamque iterum totum (faveat fortuna) per orbem  
 10 auspicio Bingi mittimus illa tuo.  
 11 Ergo quid intendam nugis juvenilibus, audi,  
 12 consilii ut ratio sit tibi nota mei.  
 13 Carpinus indecores joculari carmine mores,  
 14 et vetus antiquae simplicitatis opus.  
 15 Si meus hic hominum fuerit liber utilis ulli,  
 16 corrigat ut mores doctior inde suos.  
 17 Utque velit tandem vitae damnare prioris,  
 18 rustica quae solitus facta patrare fuit.  
 19 Nil moror ulterius, metam obtinuisse videbor,  
 20 quae fuerat cursu meta petita meo.  
 21 Vix tamen eventus adeo sperare secundos,  
 22 cum mala sim nimium tempora nostra, licet :  
 23 sperantem terrent magnorum exempla virorum,  
 24 qui celebres magno sunt in honore viri.  
 25 Quid memorem multa clarum virtute Platonem ?  
 26 Quosque vehit celebri Graecia laude sophos ?  
 27 Nonne hominum frustra tentarunt flectere mores ?  
 28 Et placida mentes arte domare feras ?  
 29 Scriptores nihilo plus profecere Latini,  
 30 cura quibus populos magna docere fuit.

31 Tullius officium Romano tradidit orbi,  
 32 quod deceat juvenes, quod deceatque senes.  
 33 Quid tamen est scriptis adeo praestantibus actum ?  
 34 Quis minus est hominum quam fuit ante ferox ?  
 35 Utile formandis puerorum moribus, istis  
 36 temporibus scripsit Roterodamus opus.  
 37 Quae tamen utilitas hoc digna labore secuta est ?  
 38 Consilium vitae quis melioris init ?  
 39 Exiguum certe numerum, qui talia curet,  
 40 cernimus : in vitium cetera turba ruit.  
 41 Nil ego nunc delicta queror vulgaria vitae,  
 42 quae veniunt quavis multa videnda die.  
 43 Quae quia momenti vix sunt alicujus, honestis  
 44 illa, nec adversor, dissimulare licet.  
 45 At videas multos (hominum modo respice mores)  
 46 qui superent omnem rusticitate modum.  
 47 Sive famem contra saevam data fercula sumant,  
 48 sive rigem poto guttura sicca mero.  
 49 Nec se respiciunt, et quonam fine creati  
 50 sint homines, ullo non meminere modo.  
 51 Nil juvat aetherea traxisse ab origine mentem,  
 52 et ratio turpi victa furore jacet.  
 53 Barbarico vivunt crudarum more ferarum,  
 54 quoque vocat ventris caeca libido ruunt.  
 55 Immodice praeter quam corporis exigit usus,  
 56 distendunt variis viscera laxa cibus.  
 57 Poculaque in bibulum confundunt plurima ventrem,  
 58 tum quoque cum potos non sitis ulla premit.  
 59 Nec satis est adeo petulanter rebus abuti,  
 60 cunctaque per lautam mittere parta gulam.  
 61 Quin etiam jactant sua crimina turpiter, atque  
 62 ob sua laudari facta pudenda volunt.  
 63 Hoc vitium longae jam consuetudinis usus  
 64 comprobatur, et magnum non sinit esse scelus.  
 65 Scilicet hoc homines pacto praecepta sequuntur,  
 66 quae, ratio vitae quaesit honesta, docent.  
 67 Cur tamen et morum feritas manet omnis in illis ?  
 68 Tot monitis adeo proficiturque nihil ?  
 69 Lenibus admoneas aliquem de crimine verbis,  
 70 et placide, melius vivat ut ille, roges ;  
 71 ceu facias ludos ridebit suaviter, et te  
 72 delusum frustra dicere multa sinet.  
 73 Sin facinus verbis aliquot gravioribus ausis  
 74 carpere, quod fieri non decuisse vides :  
 75 incurres odium, rigidusque vocabere censor,  
 76 nullaque erit merito gratia parta tuo.  
 77 Atque ita jam nemo sequitur meliora docentem,  
 78 ingenioque libet vivere cuique suo.  
 79 Sic homines vanum docti sumpsere laborem,  
 80 nilque tot egregiis obtinere libris.  
 81 Non tamen exemplis ego jam deterreor illis,  
 82 quemque scopum multi non tetigere, peto.  
 83 Postque tot insignes arte ingenioque Magistros,  
 84 qui deceant mores quemque, docere paro.  
 85 Forsitan illud agens temerarius esse videbor,  
 86 pectore fallaces spesque fovere meo.

87 Sed sperare libet, meliori sidere forsan  
88 quam reliquis, coeptum jam mihi surgat opus.  
89 Non simili vultu locuples hera respicit omnes,  
90 quod negat huic, illi saepius illa dedit.  
91 Quis scit an huic merces respondeat ulla labori ?  
92 Et valeam voti compos abire mei ?  
93 Fortunam experiar, quid enim tentare nocebit ?  
94 Fors aderit coeptis aequus Apollo meis.  
95 Ut nihil obtineam, facilis jactura laboris  
96 illius, hoc carmen quo mihi constat, erit.  
97 Sed quia praeceptis rigidis nihil hactenus actum est,  
98 quae fieri semper nil nisi honesta jubent,  
99 tramite diverso metam contingere eandem  
100 experiar, tritas nec sequar ante vias.  
101 Cunctaque jam fieri passim sine more jubebo,  
102 turpia quae factu, qui sapit, esse videt.  
103 Ante suos oculos agrestia quisque videbit,  
104 ingenuos mores quae male, facta, decent.  
105 Forsitan illa videns, vitam emendare priorem,  
106 barbariemque animi ponere quisque volet.  
107 Vix queat hoc alia vitium ratione levare,  
108 sensibilis cujus desiit esse dolor.  
109 Altius in nostris radices moribus egit,  
110 quam facili tolli rursus ut arte queat.  
111 Non tamen auxilium modo desperabimus omne,  
112 una etiam dandae cum via restet opis,  
113 nil prohibere juvat : forsan jussisse juvabit,  
114 in vetitum semper turba parata sumus.  
115 Desperata salus aliquando est causa salutis,  
116 quodque minus credas posse juvare, juvat.  
117 Nonne vides, dubio medicus succurrere morbo,  
118 cum nequit, et superat, pharmaca sana, malum :  
119 ut varias animum solertem vertat in artes,  
120 aegrotum, docta curet ut ille manu.  
121 Pharmaca nunc nimios lenit per amica dolores,  
122 vulnera nunc acri pulvere sparsa ligat.  
123 Saepe ferus membrum secat immedicabile ferro,  
124 saepius admotis ignibus urit idem.  
125 Accidit et morbo superante Machaonis artem,  
126 ut medici nulla sentiat aeger opem.  
127 Ille quidem calidas medicamina habentia vires,  
128 miscet, et aegrotum sumere multa jubet.  
129 Nil tamen hac usquam, tentet licet omnia, cura  
130 obtinet, et docta plus valet arte malum.  
131 Ergo suam vertens mox in contraria mentem,  
132 antidoto morbum frigus habente petit :  
133 et misero quam non licuit sperare salutem,  
134 hac demum felix arte sine arte tulit.  
135 Sic ego cum videam praecepta salubria morum  
136 nil agere, et monitus commoda nulla sequi,  
137 quae fuerant facienda veto, fugiendaque mando,  
138 ut doceam gestus foeda per acta bonos.  
139 Forsitan haec aliquis jocularia scripta revolvens,  
140 his speculum vitae cernet inesse suae ;  
141 et tacita culpa, nulloque monente rubescet,  
142 et fugiet posthac turpe quod esse videt.

143 Qui tamen in speculo te contemplaberis isto,  
 144 verbaque multa tuis moribus apta leges,  
 145 ne mihi, neve meo precor indignere libello,  
 146 justa nec est irae causa futura tuae.  
 147 Non mihi propositum fuit hic per stringere quemquam,  
 148 degeneres mores carpere fervor erat.  
 149 Sin fuerit qui se prae multis esse notatum  
 150 credet, et indigne verba jocosa feret.  
 151 Noverit hac ipsa sese ratione mereri,  
 152 jam reus ut possit rusticitatis agi.  
 153 Hoc metuens, irae moderare calentis habenas,  
 154 quisquis ad haec umquam scripta legenda venis.  
 155 Forsitan et tetricos offendent ista Catones,  
 156 carmina de morum quae feritate damus.  
 157 Meque librumque meum censura gravabit iniqua,  
 158 et scelus hoc scripto grande patrasse ferar.  
 159 Nam vereor certe non nullos esse futuros,  
 160 qui studium damnent consiliumque meum.  
 161 Meque putent hominum sanctos corrumpere mores,  
 162 nec facienda ullo facta docere modo.  
 163 Et fateor, possum mala facta docere, videri,  
 164 sponteque currenti subdere calcar equo.  
 165 Qui tamen et nostri naturam inspexerit aevi,  
 166 iudicium, reor, est vix habiturus idem.  
 167 Et nihil hac cernet metuendum parte pericli,  
 168 nec mea cum damno carmina posse legi.  
 169 Nam nihil est, quisquam quod nostris moribus addat,  
 170 rusticitas summum jam tenet ante locum.  
 171 Omnia quae possum scribi, plerique magistro  
 172 turpia jam, nullo facta docente tenent,  
 173 et faciunt ultro, laudemque in crimine quaerunt,  
 174 et quibus ipsorum vita probetur, habent.  
 175 Nil equidem scripsi, factum quin ante notarim, et  
 176 nascitur e gestis hoc mihi rebus opus.  
 177 Quae tenere prius quam scriberet ullus, an illae  
 178 versibus e nostris discere velle putas ?  
 179 An fieri quemquam pejorem posse putabis,  
 180 ingenio qui non ad mala promptus erat ?  
 181 Ergo mihi certum est, nihil hac me parte mereri,  
 182 cur reus inductae rusticitatis agar.  
 183 Si prorsum nulli (multis prodesse volebam)  
 184 non labor hic ulli noster obesse potest.  
 185 Et mea propositi mens est sibi conscia recti,  
 186 nilque rudis vulgi scommata salsa timet.  
 187 His redeo dictis ad te, clarissime Bingi,  
 188 tu mihi pro multis unus amicus eris.  
 189 Tu mea quo solitus juvenilia respice vultu  
 190 carmina, et auctori, quod facis, usque fave.  
 191 Suscipe tutelam promptus librique meique,  
 192 subque tuo hoc tutum nomine carmen eat.  
 193 Dira venenatae contra convicia linguae,  
 194 ludicra praesidio protege nostra tuo.  
 195 Quid moror ? Hunc totum, quantus sit cumque libellum  
 196 accipe, subque tua nunc agat ille manu.  
 197 Si monitus ullos tibi praeteriisse videbor,  
 198 (non ego me paucos praeteriisse puto)

199 ipse tuo arbitrio supple : jus carminis hujus  
 200 omne, sed o tantum suscipe, solus habe.  
 201 Si qua videbuntur nostro superesse labori,  
 202 arbitrio sapiens omnia deme tuo.  
 203 Denique ceu censor capite, in quocumque repones,  
 204 qui facient nostro facta notata libro.  
 205 Atque ita nos, regno cum sis dignissimus illo,  
 206 tradimus haec manibus sceptrata tenenda tuis,  
 207 subjicimusque tuis moderandos legibus omnes,  
 208 quotquot opus veteris simplicitatis amant.  
 209 Ecce tuum imperium terris dominatur et undis,  
 210 regnaque sunt regno cuncta minora tuo.  
 211 Quod mihi tam magno reddis pro munere munus ?  
 212 Sim tuus, id magni muneris instar erit.  
 213 Meque tuere tuum, coeptoque favore merentem  
 214 prosequere, et rebus fautor adesto meis.  
 215 En ego si (quod agis) me delectaris amico,  
 216 pro tibi tam prompto pectore, gratus ero.  
 217 Atque aliud, faveant felicia numina tantum,  
 218 aggrediar quondam te duce majus opus.  
 219 Interea, quoniam longo es dignissimus aevo,  
 220 multa, sed o felix, saecula vive. Vale.

\*\*\*\*\*

DATUM VITEBERGAE, XX. MARTII, ANNO DOMINI M. D. LII.

### CONCLUSIO

AD SIMONEM BINGIUM. IN QUA HUIUS OPERIS CONSILIUM ET UTILITATEM INDICAT.

D\_2 v.1 Hoc duce te, Bingi, tandem superavimus aequor,  
 2 te lacerae dextram subjiciente rati.  
 3 Non ego me vasto temere committere ponto,  
 4 et maris insani fluctibus ausus eram.  
 5 Sed tua me pietas animavit, et absque timore  
 6 fortiter insolitas jussit inire vias.  
 7 Tuque dabas ventos bonus in mea vela secundos,  
 8 ut faceret cursum nostra carina suum.  
 9 Nunc tenet optatos longo sibi tempore portus  
 10 puppis, et emensis tuta quiescit aquis.  
 11 Si fuit infelix nostrae via trita celoci,  
 12 nec tenuit justum quod decuisset iter :  
 13 non tuus est nobis favor accusandus, et omnis  
 14 ingenii certe culpa erit illa mei.  
 15 Qualicumque tamen portum ratione tenemus,

16 una erat haec votis meta petita meis.  
 17 Ergo tibi navim servati et vela dicamus,  
 18 accipe, nos fidei tradimus illa tuae.  
 19 Ut laceram a tumidis puppim defende procellis,  
 20 laedere tempestas neu queat ulla, veta.  
 21 Nil etenim nobis littus tenuisse petitum  
 22 proderit, et tantam continuasse viam ;  
 23 ni favor ille tuus vel nunc mea vela sequatur,  
 24 et solitam nobis servet ut ante, fidem.  
 25 Saeva vel in portu submersos obruat unda,  
 26 quae furit insanis exagitata Notis.  
 27 Tu potes incertam, velut ancora, sistere proram,  
 28 eia age praesidio tuta sit illa tuo.  
 29 Suscipe tutelam nostri, clarissime Bingi,  
 30 carminis, et curam quam potes hujus habe.  
 31 Sique tibi studium saltem laudabitur istud,  
 32 spes animum reliquis posse placere subit.  
 33 Forsitan exigua est in carmine gratia nostro,  
 34 et minus urbani Musa leporis habet.  
 35 Et veniet cupido lectori parva voluptas,  
 36 dulcia qui tantum scripta legenda putat.  
 37 Heu mihi, si multis etiam fastidia surgent,  
 38 quod videant tenui carmina facta stylo,  
 39 ergo mei studium damnabitur omne laboris ?  
 40 Irritaque est operae cura futura meae ?  
 41 Polliceor meliora mihi : quia taedia quamquam  
 42 ex isto multi carmine multa ferent.  
 43 Spero tamen paucos saltem, quibus ista probetur  
 44 Musa, fore : et paucis me placuisse, sat est.  
 45 Nil opus hoc, lautas bene quod demulceat aures,  
 46 quodque animi curas pellere possit, habet.  
 47 Non tamen omnino, nisi me sententia fallit,  
 48 utilitas nostri nulla laboris erit.  
 49 Pinximus agrestes agresti carmine mores,  
 50 propositos oculis grex studiose tuis.  
 51 Vidimus a multis fieri, quae scripsimus, ipsi :  
 52 multa notata alio sunt referente mihi.  
 53 Multa etiam (quid enim pudeat me vera fateri ?)  
 54 Ipse mea admisi rustica facta manu.  
 55 Nec nisi, cujus erat nobis bene cognitus usus,  
 56 scripsimus hic ullum simplicitatis opus.  
 57 Qui leget haec (si quis tamen esse legenda putabit)  
 58 quisquis erit, fructus non feret inde nihil.  
 59 Inveniet saltem dictum factumve vel unum,  
 60 depictos mores quo putet esse suos.  
 61 Cumque leget, tacito morsu sua facta notari  
 62 rustica, quae solitus facta patrare fuit :  
 63 protinus ingenuas maculabit purpura malas,  
 64 is color in tacita fronte pudoris erit.  
 65 Neu sit opus simili post illa rubescere culpa,  
 66 instituet vitam cautius ille suam.  
 67 Et quia ridenti nos hic perstrinximus ore,  
 68 quae sunt iudicio rustica visa meo :  
 69 certe aliquis nobis isto pro carmine grates  
 70 (quod puto sedulitas nostra meretur) aget.  
 71 Qui tamen ista mihi scribendi causa fuisti,

72           cujus et auspicio coepimus illud opus :  
 73 tu populi, Bingi, cantabere plurimus ore,  
 74           et tua qui taceat nomina nullus erit.  
 75 Pro se quisque volet meritas tibi dicere grates,  
 76           cum sciet hoc carmen muneris esse tui.  
 77 Et merito feret acceptum tibi, si quid in illo,  
 78           quod sibi proficuum judicet ullus erit.  
 79 Namque ubi jejunos dubitabam emittere versus,  
 80           fuderat incompto quos mea Musa stylo ;  
 81 auribus indignos doctis quos esse videbam,  
 82           quod male et invito facti Helicone forent :  
 83 Bingius hortator veniens, audere timentem  
 84           jussit, et ingratum ponere corde metum.  
 85 Emissumque domo tandem vulgare poema,  
 86           quod queat a multis non sine fruge legi.  
 87 Illius hortatus ego judiciumque sequutus,  
 88           hoc patior vulgi carmen adire manus.  
 89 Has igitur quisquam vita de simplice nugas  
 90           si leget, et senium si liber iste feret,  
 91 Bingius aeternum quoque nomen habebit in illo,  
 92           nullaque posteritas immemor ejus erit.  
 93 Illius hoc virtus bonitasque innata meretur,  
 94           inclita ne domino fama cadente cadat.  
 95 Nam bonus Aonias humana fronte sorores  
 96           respicit, et sacrum diligit ille chorum.  
 97 Castraque Pieridum juvenes Phoebique secutos  
 98           promovet, et promptam fert miseratus opem.  
 99 Heu mihi, quam paucos sacri qui numina montis  
 100          Castalidas curent, saecula nostra vident.  
 101 Quisque aliis animum mavult intendere rebus,  
 102          et studium quavis ponere in arte suum.  
 103 Divitias quaerunt, quantis rex Lydius olim  
 104          incolumi regno stante superbus erat.  
 105 Propositus toti scopus est ditescere vitae,  
 106          quaerereque immensus quas habet orbis opes.  
 107 Saepius ergo ruunt acti per fasque nefasque,  
 108          quo furor et Pluti dira cupido vocat.  
 109 Interea divae, quae sacrum Heliconae frequentant,  
 110          heu dolor ! Indecores et sine honore jacent.  
 111 Tu tamen has, Bingi, spretas sine honore jacere  
 112          non sinis, et nulla non pietate levas.  
 113 Prosequeris doctos, quia doctus es ipse, favore,  
 114          et quacumque potes parte juvare juvas.  
 115 Perge bonis semper, quod agis, perge esse benignus,  
 116          et studia auxilio profer honesta tuo.  
 117 Hinc tua venturo pietas celebrabitur aevo,  
 118          nominis et perpes fama futura tui est.  
 119 Vix alias melius decus immortale per artes  
 120          obtineas, nec laus plenior ulla venit.  
 121 Quam pia doctorum si sit tibi cura virorum,  
 122          hactenus illorum ceu tibi cura fuit.  
 123 Vive diu nobis, nostrique exile laboris  
 124          hoc studium vultu conveniente cape.  
 125 Si fuerit nostris conatibus aequus Apollo,  
 126          plura feres, sed te carmina digna. Vale.